

AD
ORATIONEM SOLEMNEM

IN
MEMORIAM

SUMMI JURECONSULTI ET PERILLVSTRIS

VIRI

CASPARIS CHRISTIANI

SELIGMANNI,

POTENTISSIMO POLONIARVM

REGI

DUCI ET ELECTORI SAXONIAE QUONDAM
A CONSILIIIS SACNTIS,

ITEM

CONSULIS QUONDAM INCLUTAE
CIVITATIS ZITTAVIENSIVM
GRAVISSIMI,

FUTTURO MARTIS DIE,

D. XXVIII. FEBR. MDCCLXVIII.

HOR. VIII.

AB SE HABENDAM

INVITAT
SIMVLQVE
DE

BOESLAO I. DUCE POLONIAE, COGNOMINE
CHROBRI, VSURPATORE IN LUSATIA
SUPERIORI

EXPONIT

ADAM DANIEL RICHTERUS,
GYMNASH DIRECT.

ZITTAVIAE LITTERIS KÜHNII.

H. Sax. F
95,26

H. Sax. Prov. P. 254. 9. 18

82

* * *

Polonos jam olim, forsitan ab antiquis temporibus *Caroli M.* vel saltem *Ludovici Pii*, Imperio Romano subiectos fuisse et tributarios, satis ex historiarum monumentis cognitum est. Et licet illi sæpe illud imperium a se remove conati cumque *Germanis* propterea bello impliciti sunt, tamen *Gero*, Orientalium Marchio, *Miseconem*, Ducem Poloniae cum illi subiectis anno 962. ita Imperiali ditioni subdiderat, vid. *Ditm.* p. 25, ut *Miseco* deinde *Imperatori* non solum fidelis esset, sed tributum etiam usque *Vurtha* fluvium sine omni reculatione solveret. *Ditm.* pag. 35. Immo Marchioni *Udoni*, a quo tamen contra ius fasque, quum *Imperatori* fidelis mansisset, exercitu collecto petitus fuerat, ut *Imperator* etiam hac de fama turbatus ex Italia a. 964. nuncios mitteret, præcipientes *Udoni* atque *Miseconi*, ut, si gratiam suimet habere voluissent, in pace permanerent, usque dum ipse veniens causam dilcuteret, *Ditm.* 35. talem honorem habuit, ut nunquam domum, in qua eum esse sciebat, crucinatus intrare, vel eo affurgente nunquam sedere præsumeret. *Ditm.* pag. 109. Anno 973. *Miseco* edicto *Imperatoris* obediens *Quidlingeburgum* venit cum omnibus regni sui Primariis, et consumatis pacifice cunctis, magnis muneribus ditatus lætusque domum ad sua *Kal. April* reversus est. *Ditm.* pag. 36. *Imperator* deinde *Otto I.* non ita diu post d. VII. Maj. hoc eodem anno 973. mortem suam obiit. Anno 983. quum post mortem *Otonis II.* *Henricus*, Bavariae Dux, qui tutelam *Otonis III.* vendicabat, tunc jam ipse regnum ambire institueret, *Miseco* quidem cum *Boleslao*, Duce Bohemiae, huic *Henrico* ut regi et domino suo cum juramento auxilium suum a. 984. promiserat, *Ditm.* pag. 64. quia autem inter *Miseconem* postea et *Boleslaum* Bohemiae Ducem ita magna dissonantia exorta erat, ut multum sibi invicem nocerent, *Miseco* non solum *Imperatricis*, *Theophaniae*, auxilium postulat, *Ditm.* pag. 69. sed cum novo *Imperatore* etiam ipso *Otone III.* deinde *Quidlinburgii* in solemnitate Paschatos fuit una cum suis, temetipsum in diebus illis huic *Otoni*, regi suo dedit, cum muneribus aliis camelum ei præsentavit, et duas expeditiones cum eo fecit. *Ditm.* pag. 67. fidelis *Imperatori* miles usque ad mortem, quam a. 992. regni autem *Otonis* octavo, jam senex et febricitans obiit, regnum autem suum plurimis dividendum reliquit. *Ditm.* pag. 91. *Miseco* enim primum sibi ex Bohemica regione nobilem uxorem, senioris *Boleslai* sororem a. 965. duxerat, quæ scilavonice *Dobravva* suo nomine dicebatur et *Miseconi* suo bona mater filium peperit, longe tamen sibi degenerem, *Boleslaum*. *Miseco* deinde, hæc *Dobravva* sua, a qua pia uxore *Miseco*, ante gentilis, ad Christianam religionem tractus erat, mortua, *Odam*, *Thiederici* Marchionis filiam, canonica quidem auctoritate, quia *Oda* illa sanctimonialis erat de monasterio, quod *Calva* dicebatur, uxorem habuit. Hæc *Oda* genuit *Miseconi* tres filios, *Miseconem*, *Suentepultum* et *Boleslaum*, omnes hæredes regni. Sed *Boleslaus*, *Dobravvæ* filius, tanta malitia erat, ut in sua ipsius viscera sæviret, novercam et fratres regno expelleret, regnumque vulpina calliditate in unum traheret. *Ditm.* Lib. IV. p. 91. Duxit hic *Boleslaus* primum *Rigdagi*, Marchionis in Misnia, qui a. 985. mortuus est, filiam, post autem, dimissa ea, ex *Ungaria* uxorem, ex qua habuit filium *Bespieri* nomine, et, hæc deinde similiter expulsa, *Connildem*, venerabilis Senioris *Dobremiri* filiam, quæ illi peperit duos filios *Miseconem* et alium, dilecti sui mariti nomine vocatum *Boleslaum*, tres quoque filias, quarum una *Abbatissa* fuit, secunda nupsit *Hermanno*, Marchioni in superiori *Lusatia*, tertia autem filio regis *Vulodomiri*. Vid. *Ditm.* p. 89. 90. 91.

Hic nunc est ille *Miseconis* filius, *Boleslaus* degener, qui *Imperio Romano* subesse tandem desiit, *Marchiam Budissensem* impie occupatam usurpavit, et nefanda bella in terris nostris gessit, aliud alio. Sua primum calliditate usus *Imperatori*, *Otoni III.* iter religiosum per *Milzianos* a. 1000. in *Poloniam* instituenti non solum ad *Die-desi* pagum parato in loco, qui *Flva* dicebatur, multum hilaris suo hospitio occurrit, illumque honorificentissime suscipiens per sua usque *Gnesin* deduxit, *Ditm.* Lib. IV. 83. sed, perfectis in *Gnesin* sacris, magnis etiam muneribus, præsertim autem, id quod maxime *Imperatori* tunc placuit, trecentis militibus loricatis decoravit et abeuntem deinde comitatu usque ad *Magdeburg* egregio prosequutus est. *Ditm.* Lib. IV. pag. 84. Ob hæc merita *Boleslai* tunc sine dubio factum est, ut *Imperator*, nimia tamen omnino

indulgentia, illum a tributo, quo Imperio Germanico obstrictus erat, solverit, quæ quidem Imperatoris gratia, quod Ducem tributarium Dominum fecerat, ita Boleslaum elevavit, ut oblita sui genitoris regula semper deinde auderet Imperatoribus in subjectione paulatim detrahere, unde Ditmarus etiam, ut Imperatori hoc peccatum indulgeat Deus Dominus, pie precatus est, *Lib. V. pag. 109.*

Quum enim a. 1002. Imperator, Otto III. mortuus, Ekkehardus autem, Marchio in Misnia, decus regni, solatium patriæ, spes commissis et terror inimicis, *Ditm. Lib. V. 107.* et qui regnum ipse sibi acquirere voluerat, occisus esset, non solum Boleslaus de hac morte Ekkehardi lætatus est, sed mox etiam electo exercitu omnem Germanis, Comitibus, Marchiam circa Albin jacentem invasit, præmissisque obsidibus, qui Budissinam civitatem cum omnibus adpertinentiis prius comprehenderent, statim usque ad Strelam urbem penetravit, Misnenses insimul pecunia corrumpere clam tentans, *Vid. Ditm. Lib. V. 108.* Misnenses igitur, qui semper novis rebus tunc gaudere soliti sunt, et quibus Gunzelinus, Ekkehardi occisi patruus Boleslai autem frater uterinus, se ductorem contra Ekkehardi filium, Hermannum, quem patri succedere Imperator volebat, tunc præbuit, Boleslaum tandem apertis portis susceperunt. Hac prosperitate Boleslaus elatus omnes deinde regiones illius termini usque ad Elstram fluvium non solum statim præoccupavit, sed suis etiam præsidiis munivit, legatum suum dolose subornans, qui militibus nostræ terræ diceret, Boleslaum cum gratia novi Imperatoris Henrici II. ac licentia hæc incepisse. Quibus quidem verbis isti milites non solum credidere, sed inhoneste etiam, ad eundem tanquam ad Dominum suum profecti, honorem innatum injusta servitute mutaverunt. *Vid. Ditm. L. V. 108. 109.* De qua quidem aperta Boleslai rebellionem Imperatori statim, qui tunc dies Rogationum Merseburgi celebrabat, in conventu Procerum Imperii intimatum est. Et quoniam hujus Boleslai auxilio Comes etiam in Bavaria, Henricus, Imperatori resistebat, Imperator statim post Pentecosten, anno scilicet 1003. ad Bavariam tendens Henricum et Boleslaum cum exercitu petiit, *Ditm. L. V. 112.* ea quidem felicitate, ut auxilium a Boleslao clam Henrico missum nihil illi omnino proficeret. *Vid. ibid. p. 114.* Interim, dum Imperator in hoc bello Henrici urbem, Crusin vocatam possideret, Boleslaus, qui summo pere nitebatur, ut Imperatorem, qua posset, læderet, clam exercitum collegit et per suos nuncios Gunzelinum fratrem hortatus est, ut memor promissionis urbem Misnensem tuæ ditioni redderet, pristinamque amicitiam renovaret. Gunzelino autem, ut qui sibi ab Imperatore timebat, id reculante, Boleslaus legionem ad Albin prope rare iussit et, mane factò ipse subsequutus ad Strelam civitatem, quæ tunc suæ filix dos erat, incolis ibi demandavit, ut nec sibi quicquam timerent, Quo factò exercitus statim ejus jussu, qui in quatuor partes divisus fuerat, ad Cirin castellum vespere convenire præcipitur. *Ditm. L. V. 115.* Tunc totus pagus, qui Glomaci dicebatur et optime excultus erat, uno hoc illo die igne et gladio habitatorisque educatione febilitè vastatus est. Boleslaus tamen, a militibus nostræ terræ, qui in Mogilina urbe sedebant, præter opinionem turpiter eludebatur, quibus quidem poenas vehementer minatus est, quum tunc amplius illos vexare jam non licitum esset. Nihilominus tamen Boleslaus postera luce orto iam sole abduxit omnino non minorem captivorum numerum quam tria millia et, ut præsentem affirmabant, multo amplius, sed hoc isto suo etiam detrimento, ut magna pars suorum, qui prædam præmissam comitabantur, Albi immersa insimul periret. *Ditm. V. 116.* Boleslaus deinde Bohemiæ invasor factus est, *ibid. 116.* et cum suo furore tum Comitibus etiam Henrici instinctu Bavariis etiam, omnibusque concivibus magnam vim intulit. *Ditm. VI. 123. 124.* Licet Boleslaus a. 1002. teste Ditmaro restituto L. 5. p. 372. Imperatori Luidizios et Milicenos, quas regiones tunc Hermannus Marchio custodiendas accepit, reddiderit, at tamen illas statim a. 1003. rursus etiam occupavit, *vid. Saxo. Chronograph. ad h. a. Adelbold C. XXII.*

Tandem Imperator a. 1004. ad compescendam hanc Boleslai sævitiam, primam Mense Februario, frustra tamen ob hyemis asperitatem susceptam, teste Ditmaro, L. VI. p. 124. deinde vero eo felicius alteram omnibus in sua ditione Christo sibi que fidelibus, quum alii reliqui adhuc gentiles Boleslaoque tunc addicti fuerint, expeditionem Augusto mense iam mediante indixit, exercituque ad Merseburgum collecto iter

in hostem ex occulto statim instituit. Assidue enim proficisci in Poloniam, sed ob magnam imbrium effusionem retardatus in *Bohemia* celeriter illud suum iter direxit et, omnibus impedimentis, quæ a *Boleslao* posita erant, superatis, ista victoriæ prosperitate in *Boleslaum* usus est, ut non solum *Jaromirum*, Ducem *Bohemiæ* exulem regno suo restitueret, *Polonos Satzæ* intus præsidio positos occideret, sed *Boleslaum* etiam patriam statim et clam fugiendo revivere cogeret. *Dit. L. VI. 129. 130.* Imperator igitur cum *Bojemorum* Duce restituto, *Jaremiro* scilicet, *Milzienos*, qui tunc sibi fuere proximi, terminos per ineffabilem itineris difficultatem adiens, *Budissinam* urbem obsedit, quæ urbs tunc sine dubio igne combusta fuisset, ni *Gunzelinus*, Marchio scilicet in *Misnia*, id prohibuisset. *Vid. Ditm. L. VI. 132.* Tandem urbs *Budissina*, iubente id per nuncium suum *Boleslao*, Imperatoris potestati, salvis tamen defensoribus, tradita et ab Imperatore præsidio novo, *Hermann*o scilicet Marchione restituto, munita est. *Ditm. L. VI. 133.*

Anno deinde 1006. rursus Imperator exercitum collegit et quidem ad *Dobralub*, in pago *Lucizi*, qui exercitus, licet admodum in itinere suo invida malignitate quorundam, ad supplementum venientium, retardaretur, *vid. ibid. 134.* usque ad *Oderam* tamen fluvium penetravit, et deinde iuxta amnem, qui *Bober* dicitur, castrametatus est. *Ditm. VI. 137.* Quanquam vero *Boleslaus*, ibidem grandi cum exercitu in *Crosno* sedens, transicum fluminis præfati prohibere conatus fuerat, tamen Imperator optimo vado invento non solum feliciter tajecit, sed *Boleslaum* etiam ita terruit, ut cum suis, pluribus autem ibidem relictis rebus, aufugeret. *Vid. Ditm. p. 137.* Quo factò *Boleslaus* per fidos intercessores Imperatoris non solum gratiam petiit, sed exauditus fœdera etiam pacis cum iuramento pepigit, *Ditm. ibid. 138.* fide tamen non stetit.

Iam enim anno 1007. Imperatori *Henrico II.* Pascha tunc *Ratisbonæ* celebranti nuncii a *Luiticiis*, nec non ab incolis in civitate illa tunc magna *Luibni*, et a *Jaromiro* missi afferebant, *Boleslaum* multa Imperatori contraria iam moliri cupere, seque ad hæc perficienda verbis ac pecunia ab eodem introduci. Imperator igitur hæc omnia cum suis Principibus caute considerans, *Hermannum* Marchionem in *Poloniam* ad bellum *Boleslao* denunciandum feciale misit, quæ vero legatio Imperatoris a *Boleslao* non bene suscepta est. Collecto enim post hæc exercitu *Boleslaus* non pagum solum, qui *Morezini* dicitur, iuxta *Magdeburg* iacentem populatus est, sed inde veniens ad urbem, quæ *Zerbesta* dicitur, urbanos etiam terrore gravet hortatu dulci ita perturbavit, ut illos devictos secum abduceret. *Ditm. L. VI. 141.* Quoniam autem nostri illum tunc morosius insequerentur usque ad locum, qui *Juterbock* appellabatur, et, quum sapientissimis visum esset, non esse consilium, hostes tam parva multitudo prosequi, ibidem revertentur, *Boleslaus* tunc in hoc isto suo itinere non *Lucizi* modo, *Zara* et *Selpuli*, quæ quidem loca *Boleslaus* a. 1002. quum *Gironis* Comitatum invaderet, tunc etiam occupaverat, *vid. Kreyf. Beytrag. P. IV. p. 325. seq.* denuo occupavit, sed etiam non diu post *Budissin* civitatem præsidio *Hermann*i, qui ibidem Marchio erat, tunc munitam locer invidus, *Hermannus* enim *Boleslai* filiam iam a. 1002. uxorem duxerat, obsedit illamque, quia nemo subsidio veniebat, tandem a civibus sibi traditam occupavit, *Dit. L. VI. p. 142.* quæ deinde civitas vi armorum acquisita per viginti quinque annos sub potestate *Polonorum* permanlit. De hoc igitur *Boleslao I.* cognomine *Chrobri*, *Vsurpatore* in *Superiori Lusatia* plura alio die. Iam enim maxime nobis memorandus venit *Vir* quondam *Perillustris*, *Dominus Casparus Christianus Seligmannus*, cujus memoriam ut futuro Martis die, hora VIII. matutina Oratione solemniter renovem, ordo Collegii nostri me vocat. Dicam autem breviter de ritu incinerandi antiquo.

Rogo igitur et oro omni pietate quidem et observantia, ut Magnifici et Amplissimi Curia Proceres, item rerum sacrarum Antistites Venerabiles, aliique Fautores et Amici huic nostræ Orationi benevole interesse velint. P. P. Zittav. Dom. Oculi, Ao. MDCCLXVIII.

